



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

B. Theodoricus à Monasterio, dictus Coelde, Ordinis FF. Minorum strictioris
observantiae

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

dam translatum, atque in honorem Bmæ Virginis & S. Blasii consecratum est, anno, ut refert Mindense Chronicon apud Meibomium, MIX.

B. THEODORICUS
à Monasterio dictus Coelde
Ordinis FF. Minorum strictioris
Observantiæ.

Refertur cum titulo Beati ab Arturo in Martyrologio Franciscan. ad diem 2 Februarii. Fortunato Hueber in Chronica tripartita Ordinis. Leone Wolff. in Martyrolog. Franciscano ad eandem diem. Ludovico Kellen in vita B. Francisci Solani parte 3 de Apostolicis Missionibus pag. 287. ubi ita de eo scribit: Umb das 1470 und folgende Jahren leuchtete als ein glanzender Morgenstern der selige Batter Theodoricus von Münster in Westphalen gebürtig: verliesse als ein anderer Antonius de Padua den Orden des H. Augustini / und begab sich in den Orden des H. Francisci von der strengeren Observanz etc. Similiter Georgius Colvenerius SStæ Theologia Doctor & Academia Duacensis Cancellarius in approbatione vitæ illius ab Arnolde Raisio anno 1630 Duaci in lu-

cem date, ac deinde anno 1636 Monasterii typis Raesfeldicis recusa vocat, Beatæ memoriæ Theodoricum à Monasterio. Malè ab aliquibus confunditur cum Theodorico ab Osnabrugo, de quo postea. Mortuus est Lovanii anno 1515, die non 2da Februarii, ad quam illum referunt Arturus & alii supra citati; sed 11ma Decembris, uti constat ex ejus vita. Reliquiæ illius post integrum Sæculum, hoc est, anno 1618, 12ma Septembris cum licentia superiorum iterum exhumatæ sunt, & in ornato scrinio positæ in sacello infirmariæ Conventûs Lovaniensis, ubi eas à se inspectas esse fatetur Arnoldus Raisius in ejus vita.

Non exiguum in hac Westphalia Sancta sibi locum postulat B. Theodoricus ex Ordine S. Francisci strictioris observantiæ clarissimum lumen totius Belgii. Natus est Monasterii in Westphalia parentibus perhonestis: à quibus cum ad condiscenda literarum studia adhibitus esset, amore salutis suæ primùm ad Ordinem PP. Augustinianorum; inde iterum, nescio quo impulsu & speciali vocatione Numinis, se ad familiam S. Francisci transtulit; secutus exemplū magni Antonii Patavini, qui in eodem mutationis genere jam pridem præcucurrerat. Et verò hu-

julmodi facinus Deo placitum, atque ex eius
 sanctissima voluntate susceptum fuisse, even-
 tus docuit. Ex eo enim tempore tam eximi-
 um Verbi Divini præconem effecere superi,
 ut, cum totum pene Belgium concionando
 & catechizando peragraret, ubique admira-
 bilis doctrinæ & sanctitatis vestigia post se re-
 linqueret. Hunc in finem addiderat illi De-
 us singularem non modò in dicendo gratiam,
 sed etiam in agendo vim & energiam. Erat
 in Hollandia feralis ac perniciofa factio pri-
 mùm anno 1350 in exitium patriæ nata; post-
 ea verò ad annum 1444 adeò truculentis mo-
 tibus iterum evagata, ut æstuosi instar diluvii
 Amstelrodamum, Harlemium, Lugdunum
 aliásq; Batavorum urbes inter continua func-
 ra & cædes partium miserè laceraret. Hau-
 ckiorum illa dicebatur ab Hauc, id est hamo,
 & Cabelliorum à Cabeliau sive a sello ma-
 rino: quæ tametsi tandem consilio ac pru-
 dentia Philippi boni Brabantix Burgundixq;
 Ducis non nihil sufflaminata fuerit; vix tamè
 ita pacari ex integro visa erat, quin subinde
 seditioso quorundam ingenio ad intestinos
 tumultus recrudesceret. Cruciabat ea res
 non modicè patris Theodorici animum: at-
 que ut odium illud pertinax irásq; partium e-
 cordi-

cordibus factiosorum radicitus extirparet, conscenso repente curru instar fulminis omnia territantis volitabat per urbes & oppida, dextrâ sinistrâq; ostentans geminas defunctorum calvarias, interimq; voce elata ad omnes clamans: *mortem cogitarent sibi certam decretâmq; cunctis mortalibus: eam non discernere Codrum inter & Cræsum, casas pauperum & regum turres: alioquin designent ipsi modò, utrius partis olim fuerint hæc, quæ secum ferret, mortuorum crania. Iras proinde ac dissidia inter se tam exitiosa ponerent, si à morte sempiterna servari cuperent. Neque enim tam discordibus ullum ad cæli gaudia accessum esse, cujus porta & muri nihil aliud sint, quàm in violata pax & charitas. Comædiam esse, quidquid à nobis in mundo vivitur; sat agendum unicè, ut huic ludo bona apponatur clausula & epilogus bonus.* Hæc aliâq; id genus plurima cum per confertas plateas ingenti spiritu ad plebem diceret, non tam loqui videbatur, quàm tonitrua & fulminum voces mittere: tantûsq; exinde motus consecutus est in animis audientium, ut ab eo tempore funestissimæ hujus factionis impetus omnino conticuerit. Accedebat ad istam dicendi ac perorandi efficaciam ardens animarû zelus & effusa in omnes charitas: quam

tametsi expertæ sint urbes plurimæ, nulla tamen amplius, quàm Bruxellæ totius Brabantia caput & corona. Grassabatur illic anno Christi 1489 cruenta & atrox pestilentia, quæ per años pene duos, quibus id malum tenuit, ad triginta tria hominum millia depasta est. Suspirabant amissis pastoribus trepidi ovium Christianorum greges; virúmque; sitiebant, cui se salutémque; suam committere, & in tuto collocare possent. Non poterat hanc miseriam præ oculis ferre indefessa Theodorici charitas: atque, ut monasterii sui claustra ab eodem infectionis periculo intacta starent, cum licentia superiorum extra septa positus tentorium erigebat in foro publico, ubi mensa in modum altaris collocata omnibus ad se se convolantibus præsto esset. Hic ille velut ad aram communis refugii assiduus considerare, de salute trepidos præstolari, monere penitentiam, audire confessiones, dispertire panem Eucharisticum, omnia, quæ ad viam æternitatis complanandam necessaria erant, sanis omnibus sedulò providere. Quin etiam excurrere ad infectas domos, circumire per plateas, infirmos requirere, morituris extrema sacramenta ministrare: omnibus quidem æquali charitate; iis tamen maximè, quos interna

interna monitione cœlitus accepta præsciebat, celeriori ante alios morte abripiendos esse. Socium hujus Sancti laboris sub prima contagionis tempora nactus erat templi alicujus ædituum, qui sacramenta portantem præibat cum lucerna & tintinnabulo: sed quia & hic tandē pestilentiam correptus mortem oppetiērat, neque alius ad manum erat, qui succedere in id officium vellet; utrumque exinde munus, sacerdotis & sacristæ simul in se conjunxit, lucernam ad chordam appensam, dextramq; ciborium & sinistram nolam deferens. Ita factum, ut è triginta tribus hominum millibus, quos exulcerati hujus biennii tempore mors absumpserat, solus ipse triginta duo millia ad iter æternitatis adeundum necessariis sacramentis præmuniverit. Ex hoc autem tam ingenti numero quot tandem animas Theodorici operam cœlo illatas esse arbitremur? certè cum remisisset lues illa, & Theodoricus conscensam cathedram pallidas emaciatamq; populi reliquias ad reddendas Deo gratias excitaret, non dubitavit palam edicere pro concione, sibi à Deo certissimè revelatum, ex his triginta duobus millibus, quibus ipse in extremis adstitisset, duos duntaxat homines ad infernum decidisse; unum,

T 5

quia

quia sub vitæ exitum de salute desperasset ; alterum, quia exomologesi sacra conscientia suæ maculas nolisset eluere. Est & aliud, quo Deus eodem tempore Patris Theodorici sanctitatem apprime illustrem fecit. Accidebat hieme intempesta, ut nec ipse ob inclementiam frigoris suo in tentorio perdurare, nec sacrum lumen ob immodicos ventorum flatus conservare posset. Advertebat ea necessitas boni Patris coctorem cerevisiæ, cui in eadem vicinia domicilium erat ; ideóq; ad ædes suas invitato cubiculum locúmque offererebat, ubi & frigus pellere, & rebus sacris operari, & ad ægros morientésq; excurrere pro suo arbitrio posset. Non recusabat Theodoricus oblatam sibi gratiam : & ecce res mira dictu ! cum omnes braxatorum officinæ pestifera lue correptæ fuerint, hæc sola non modó immunis perstitit, sed etiam experientia certâ compertum est, omnes eos, qui ex hujus officinæ cerevisiâ potum ceperant, vel sanitati propediem restitutos, vel si eos lues ista nondum invaserat, ab eadem præservatos esse. Quid dicam de aliis operibus prodigiosis virtute cœlica ab eo perpetratis ? quid de spiritu prophetiæ & rerum arcanarum frequenti notitiâ ? Cùm Antwerpiæ Guardia-

num

num ageret, ad oppidum Hochstratense facturus iter, virginem offendebat in curru Catharinam nomine, quæ ut erat adhuc recens desponsata & coccineo indumento splendens, identidem respiciebat anxia, ne pretiosus ille vestium suarum rubor ab excusso è rotis luto asperisionem vitiumq; caperet. Indoluit Theodoricus, huic personæ majorem sui corporis, quàm animæ curam esse: mox tamen divinæ voluntatis dipterâ penitiùs introspectâ, ore fatidico ad eam conversus, *desine!* inquebat, *mea filia desine, nimiam hujus indumenti custodiam gerere: non diu tibi utendum illo: propè abest, ut decoreris alio vestium genere, quod nondum cogitas.* Post breve spatium Theodoricus in cœnobio Hochstratensi sororem illiusmet virginis recipiebat ad Ordinem S. Claræ: cùmq; in omnium consanguineorum circumstante corona orationem præmitteret huic proposito peraccomodam, Catharina vehementi & impulsu Numinis & verborum sacrorum pondere ita se interiùs premi ac commoveri sensit, ut abdicato confestim temporali sponso virginalem pudicitiam conjugio anteferret, veltes antea tam sollicitè custoditas poneret, & quod vitæ residuum erat, in eodem monasterio Deo consecraret.

craret. Non licuit tamen in hoc severiore statu longas annorum periodos recensere : consummata enim in brevi explevit tempora multa, & si Theodorico ejusq; è cœlis acceptæ revelationi credimus , apud S. Claram fundatricem suam sublimi loco inter superos potita est, quòd pro cœlesti sponso terrestrè reliquisset. Eâdem certitudine subinde providebat ea, quæ, tametsi cum præsentis fluxu temporum conjuncta essent, ab oculorum tamen humanorum arbitrio longiùs submota erant. Perorabat è Superiore loco Lovanii in æde summa, Principi Apostolorum sacra : concione media quasi in extasin raptus sufflaminato verborum cursu repente consistebat siderato similis , tandèmq; elatiori voce rogabat publicè, num adesset certa quædam, cujus nomen apponebat, mulier ? comparenti clanculùm in mandatis dabat, ocyùs ut viam relegat ad ædes suas, & ab ancilla sibi in plateis occursum quærat, quid ageret ? quòd viarum locorùmq; tenderet ? Abit mulier, occurrit ancilla, rogat Domina, *quo te pedes ? ad Dylam*, respondet illa (fluvius hic est Lovanium alluens) *illuc immunda quædam ablutis eo.* Itâne ? subinfert hera ; *& cur illuc tam remotè, cum aquam certè propiorem habeas ?* ostendit

de sis, quæ immunda? quid rerum feras? Iustratoq; mox ancillæ sinu infantē reperit recēns natum, & aquis suffocatricibus certo certiùs immergendum, nisi Deus tam improvise revelatione cogitatum facinus avertisset. Non minùs admirandum est, quod alio tempore accidisse memorant. Considebat in prandio apud virum nobilem, cujus magnificos apparatus, & mensam opiparis dapibus lancibùsq; turgentem oculis defixis intuens, magna, agebat, *mi Domine est ciborum abundantia in hoc convivio; & magna, ah! nimium magna in multis locis est egestas ac penuria.* Non advertēbat convivii præses, quid Theodoricus his verbis sibi dictum vellet: ideòq; dum paulò post alia ex aliis fercula in mensam adducebantur, apertiùs suam mentem explicans: *utinam,* inquebat, *mi Domine, hoc nunc amoris ac benevolentia erga me tua largireris, ut ex hac ciborum multitudine aliquid mitteretur ad quendam pauperem!* Annuit postulatis Dominus, cumq; ex omnibus aliquid præcerptum atque in unam lancem congestum esset, jubet Theodoricus eam operiri linteo, in eamq; domum ab herili famulo deportari, ad cujus ostium linteamen istud advolaturum esset. Abit famulus; fertur in plateam, cui à scriniariis nomen

men est (vulgò die Schreinstrasse) linteolum vento abripitur, involátq; in ædes cujusdam hominis, qui in populari quidem estimatione putabatur bene dives; nescio tamen quo infortunio ad occultam eamq; extremam egestatem dejectus erat. Miratur eventum famulus: & quia metuebat, ne fortè linteamen illud à vento exerrasset, non est ausus rem sibi imperatam facere, sed ad Patrem reversus aliam sibi domum designari postulat: eam, in quam antè cecidisset linteum, opulentio- rem esse, quàm ut ejusmodi ciborum analecta illuc inferri debeant. Ad quæ Theodoricus: *Scio, scio, quanam sit domus ista: tu perge modò, & dictis meis obsequium presta.* Redit secundò famulus, & ecce, ut primùm tecto succedit penitiùs, videt prolem ibi geminam, quæ ex una scutella comedens, solo furfure & porcorum siliquis placabat ventris jejunia. Quod ad reliquas Beati Patris virtutes attinet, ut paucis absolvam plurimas, res- fulgebat in illo singularis vitæ innocentia, animi candor, morum suavitas, in agendo prudentia, in loquendo circumspectio, in suscitanda fovendâq; regularis disciplinæ observantia labor indefessus. Religiosam solitudinem, quâ homini rerum cœlestium stu-

diofo

dioſo nihil dulcius, amabat, quàm qui maxi-
 mè : idcirco nullibi degebat libentiùs, quàm
 in cœnobio Bodenthalienſi inter frondes &
 amœna nemora prope Bruxellas ſito. Ibi ille
 velut ad fontem divinorum beneficiorum ſe-
 cretò conſiſtere, ibi cum Deo ſuo interiùs
 deliciari, ibi ſuaviùs loqui cum illo, qui per
 Oſeam c. 2. v. 14 dicit : *ducam eam in ſolitu-
 dinem, & loquar ad cor ejus* : ibi denique velut
 cœlo factus propinquior vitam cœleſtium
 gaudiorum meditatione ſublimem ducere,
 probè gnarus, ibi Deum ac cœleſtia faciliùs
 reperiri, ubi ſæcularium negotiorum turba
 deſeritur, & procul à mundi ſtrepitu ad allo-
 quium ſolius Dei animitus ſuſpiratur. Ne-
 que tamẽ ita pedibus Chriſti adhærebat cum
 Magdalena, quin alia charitatis obſequia, ubi
 neceſſitas poſtulâſſet, unà conjungeret, vi-
 tãq; ſecretioris otia cum negotioſa proximo-
 rum cura temperaret. Itaque jam religioſa
 Monialiũ domicilia inviſere, jam eas ad ſubli-
 miorem virtutis gradum excitare, jam ad eſſe
 ægris, jam auxiliari moribundis, jam exhor-
 tari ſanos, jam rudes catechiſmo informare,
 jam de rebus divinis pro concione ad plebem
 dicere, jam alia id genus ministeria pro viri-
 bus obire, ratus nihil Deo gratius à ſe exhi-
 beri

beri posse, quàm si cum Paulo Apostolo [a] omnibus omnia factus esset, ut omnes faceret salvos. Tandem ubi variis conventibus ac postremò etiam Lovaniensi, qui ejus potissimum operâ ad strictioris observantiæ amplexum perductus fuit, laudabili exemplo & sanctitate præfuisset, ætate ac meritis plenus, vitam frequenti miraculorum gloriâ diu coruscantem non sine miraculo cœpit claudere. Die, qui illi in hoc mortali corpore postremus erat, è suggestu sacro verba faciebat ad populum, & repenti prophético afflatus spiritu palàm edicebat, instare jam velocem depositionem tabernaculi sui, hoc est, humani corporis; neque procul se abesse ab ultima vitæ linea, cui non lentis passibus admoveri se persentisceret. Finita concione divinissimum Missæ sacrificium devotè offerebat; breviq; post, ut erat rigidus vitæ communis sectator, etiam signo comestionis dato cum religioso fratrum cœtu ad prandium & mensam ibat. Vix tamen paululùm ibi confederat, cùm suæ mortis adventum propinquo-rem sentiens iterum se à mensa in cubiculum suum retrahit, in genua supplex provolvitur. Deoq; imminentem agonem suum genu fle-

[a] 1. Cor. 9. 22.

xo impensissimè commendans, eodem quasi
 temporis momento animam exhalat. Inte-
 rim suspensi erant tam improvise abitu Patrū
 accumbentium animi, prodebátq; se per o-
 mnium vultus ingens dolor, maximè, quòd
 audiissent, depositionem sui corporis velo-
 cem fore. Itaque emittitur de mensa fratrū
 aliquis, ut videret, quid illo factum esset :
 accurrit ad cubiculum, ut subsidiariam labo-
 ranti manū commodet : pulsat modeste
 ostium, nec exauditur : iterum iterumq; di-
 gito fores increpat, & adhuc filetur : denique
 cubiculum aperit, & jam genu flexo mani-
 búsq; orantis in modum compositis extinctū
 reperit die 11ma Decembris anno 1515. Se-
 pultus est Lovanii in choro templi PP. Fran-
 ciscanorum. Inde tamen ejus reliquiæ anno
 1618 cum licentia superiorum elevata, in
 scrinio bene exornato repositæ, atque ad sa-
 cellum infirmariæ ejusdem Conventūs trans-
 portatæ sunt, ubi religiosè asservantur. Edi-
 dit indoctâ illa ætate Catechismum seu libel-
 lum rudibus informandis peridoneum, ger-
 manicè *Kerstenspiegel*/latinè *Speculū Chri-*
stianum, qui primū anno 1470 in lucem da-
 tus, variis deinde in locis per Brabantiam &
 Germaniam recusus est non sine ingenti ani-
 marum fructu ac utilitate.

U